



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

X. Proponitur tertia quæstio, & probatur Petri Monarchia ex loco Euangelij.
Matth.16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

CAPVT. X.

Proponitur tertia quæstio, & probatur Pe-
tri Monarchia ex loco Euangelij, Mat-
thæi 16.

EXPLICATVM est hætenus, & satis diligenter, ni fallor, probatum, Monarchiam esse optimum regimen: & eiusmodi regimen in Ecclesia Christi esse debere. Restat nunc quæstio tertia; Fueritne Apostolus Petrus Ecclesiæ totius caput & princeps loco Christi, ab ipso Christo constitutus?

Hæretici omnes, quos initio citauimus, disertè hoc negant: Catholici è contrario, quos citauimus, id affirmant. Est enim reuera non simplex error, sed perniciosa hæresis negare B. Petri primatum à Christo institutum; Eum nos triplici ratione & via confirmare aggredimur. PRIMVM ex duobus locis Euangelij, in quorum altero promittitur, in altero exhibetur. DEINDE ex plurimis B. Petri priuilegiis ac prærogatiuis. POSTREMO ex apertissimis Græcorum & Latinorum veterum testimoniis.

Acvt à PRIMO incipiamus, prior locus est, Matth. 16. vbi sic legimus: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo clauis regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quorum verborum planus & obuius sensus est, vt intelligamus sub duabus metaphoris promissum Petro totius Ecclesiæ principatum. Prior metaphora est fundamenti ac ædificij. quod enim est in ædificio fundamentum, id est in corpore caput, in ciuitate rector, rex in regno, paterfamilias in domo. Posterior est clauium; cui enim traduntur clauis ciuitatis, ille instituitur Rex, vel certè gubernator ciuitatis, q̄ quos vult admittat, quos vult excludat.

Verùm hæretici totum hunc locum miris modis deprauant. Nam nec Petrum per petram intelligi volunt; nec Petro clauis esse promissas concedūt; nec per metaphoras fundamenti, & clauium summam potestatem Ecclesiasticam significatam esse sibi persuadere possunt.

Quæstiones igitur quatuor nobis explicandæ sunt. **PRIMA**, an Petrus sit illa petra, super quam fundatur Ecclesia. **SECUNDA**, an esse fundamentum, sit esse gubernatorem totius Ecclesiæ. **TERTIA**, an Petrus sit ille cui dantur claves. **QUARTA**, an per claves intelligatur potestas plena Ecclesiam gubernandi.

De **PRIMA** quæstione quatuor sententiæ sunt. **PRIMA** Catholicorum communis, petram illam esse Petrum, id est, illam personam quæ dicebatur Petrus: non tamen ut persona erat particularis, sed ut pastor & caput Ecclesiæ. **SECUNDA** est Erasmi in hunc locum, omnem hominẽ fidelem esse hanc petra. **TERTIA** Calvini lib. 4. Institut. cap. 6. §. 6. petram illam esse Christum. **QUARTA** Lutheri lib. de potestate Papæ, & Centuriatorum lib. 1. Cent. 1. cap. 4. col. 175. & lib. 1. Smalcaldici de primatu Papæ, fidem seu fidei confessionem esse petram, de qua Dominus hoc loco loquitur.

Lat. de potestate papæ.
catholici prof.

PRIMA sententiã, quæ verissima est, primũ ex ipso textu apertè deducitur. Nam illud pronomen, *HANC*, cum dicitur *Et super hanc petram*, demonstrat aliquam petra, de qua paulò antè Dominus sit loquutus: proximè autem Dominus Petrum vocauerat petram; Syriacè enim loquebatur, & Syriacè lingua Petrus dicitur Cephã, ut habemus Ioan. 1. Cephã autem petram significat, ut Hieronymus docet in cap. 2. ad Galat. & res certissima est; nam ubicunque in textu Hebræo est *פֶּטְרָא*, id est, petra, in Syriaco est Cephã; quin etiam *סֶפֶא*, Hebraicè saxum seu rupem significat. Vbi enim Hier. 4 legimus, ascenderit rupes, in Hebræo est, *אֲשֶׁר עָלָה הָרֵבֶת*. Dixit ergo Dominus: Tu es Cephã, & super hoc Cephã: vel Latine: *Tu es petra, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam*. Ex quo sequitur illud, *hanc*, non posse referri nisi ad Petrum, qui eo loco vocatus est petra.

At cur Latinus interpret non vertit, Tu es Petra, & super hanc petram? quod Græcum codicem sit sequutus. Non enim vertit ex Syriaco, sed ex Græco, in quo legimus, *ὁ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρῃ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν μου*. Cur verò Græcus non verterit, *ὁ εἶ πέτρα καὶ ἐπὶ ταύτῃ πέτρῃ*, causa est, quoniam cū apud Græcos tam *πέτρος* quã *πέτρα* signi-

signi-

significet lapidem; visum est interpreti commodius homini nomen masculinum quam fœmininū tribuere. Deinde verò ad explicandā metaphoram, secundo loco non voluit dicere, ἐπὶ τῷ πέτρῳ, quod fuisset ambiguum, sed ἐπὶ τῇ πέτρῃ, quod nihil aliud quàm saxum significat.

Accedat consensus Ecclesiæ totius, & Græcorum ac Latinorū Patrum. totum CHALCEDONENSE Concilium DC. XXX. Patrum, act. 3. appellat Petrum petram, & crepidinem Ecclesiæ Catholicæ. Item in Ecclesia canuntur hodie omnī ore, & cantati sunt à M. CC. annis illi versus diui AMBROSII in Hymno laudum diei Dominici; *Hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit.* Testatur enim D. AVGUSTINVS lib. I. retract. cap. 21. iam suo tempore cœptū cani ex versibus Ambrosij, Petrum esse petram, super quam Dominus Ecclesiam ædificavit.

Præterea ex Patribus Græcis ORIGENES hom. 5. in Exod. *Vide, inquit, magno illi Ecclesiæ fundamento, & petra solidissima, super quam Christus fundavit Ecclesiam, quid dicatur à Domino. Modica fidei, quare dubitasti?*

ATHANASIVS in epist. ad Felicem, quam scripsit nomine suo & Synodi Alexandrinæ: *Tues, inquit, Petrus, & super fundamentum tuum Ecclesiæ columna, id est, Episcopi, sunt confirmata, &c.* Eleganter Athanasius Petrum facit fundamentum, quo nituntur Episcopi, super quos vt columnas totum ædificium collocatur.

BASILIVS lib. 2. in Eunom. *Petrus, inquit, propter fidei excellentiam Ecclesiæ adificationem in seipsum suscepit.* Gregorius NAZIANZENSIS in oratione de moderatione seruanda in disputationibus: *Petrus, inquit, petra vocatur, atq; Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credit a habet.* EPIPHANIVS in Ancorato: *Dominus, inquit, constituit Petrum primum Apostolorum petram firmam, super quam Ecclesiæ Dei adificata est.*

CHRYSOSTOMVS homil. 55. in Matth. *Dominus ait, inquit, Tu es Petrus, & ego super te adificabo Ecclesiam meam.* Et homil. 4. in cap. 6. Isaïæ: *Quid autem, inquit, Petrus, basis Ecclesiæ; ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui tamen Philosophis obruravit os; ille qui Græcancam sapientiam non aliter, quàm*

aranearum telam dissoluit; ille qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem? CYRILLVS lib. 2. cap. 12. in Ioan. Nec Simon fore iã nomen illi, sed Petrus, prædicit: & vocabulo ipso commode significans, quod in eo iãquam in petra, lapideq̃, firmissimo suam esset adificaturus Ecclesiam.

PSSELLVS in cap. 5. Cant. in illud: Crura eius sicut columna marmorea. Per crura, inquit, Petrum intellige Apostolorum principem, super quem Dominus in Euangelio se Ecclesiam suam adificaturum promisit. Habentur commentaria Pselli in commentariis Theodoreti in Cant. THEOPHYRACTVS in cap. 22. Luc. Post me, inquit, Ecclesia petra es, & fundamentum. EVTHYMIVS in cap. 16. Matth. Te ponam, inquit, fundamentum credentium, adificabo super te Ecclesiam meam.

EX Latinis TERTULLIANVS lib. de præscript. Latuit, inquit, aliquid Petrum, adificanda Ecclesia petram dictum? CYPRIANVS in epist. ad Quintum: Petrum Dominus primum elegit, & super eum adificauit Ecclesiam suam: similia passim reperit.

HILARIVS in cap. 16. Matth. O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesia fundamentum, dignaq̃, adificatione illius petra, qua inferorum leges dissolueret: O beatus cœli ianitor, &c. Hic tamen ad marginem annotauit Erasmus: Fides Ecclesia fundamentum. Quasi fidei sit nomen mutatum, & non Simoni, & fides sit beatus cœli ianitor. Quid quod Hilarius hoc loco fidem ne nominauit quidem? AMBROSIVS serm. 47. Denique, inquit, pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur eo quod primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq̃, contineat.

HIERONYMVS in cap. Matth. 16. Secundum metaphoram petra, rectè dicitur ei, adificabo Ecclesiam meam super te. Et in epist. ad Damasum de nomine hypostasis, de sede Petri loquens: Super hanc petram, inquit, adificatam Ecclesiam scio.

AUGUSTINVS in Psal. contra partem Donati: Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede. ipsa est petra quam non vincunt superba inferorum porta. Vbi nota tam Hieronymum quam Augustinum, non tam Petrum quam eius sedem vocare pe-

re pe-

re petram, super quam fundatur Ecclesia, & contra quam nõ prævalent portę inferorum, quia Petrus est petra, non vt particularis homo, sed vt Pontifex. Idem AVGVSTINVS serm. 15. de Sanctis: *Petrum itaq; fundamentum Ecclesię Dominus nominavit, & ideo dignè fundamentum hoc Ecclesię colit, supra quod Ecclesiastici adificij altitudo consurgit.*

MAXIMVS serm. 1. de SS. Petro & Paulo: *Per Christum Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* PAVLINVS epist. 4. ad Seuerum: *Petra est Christus, sed etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negavit, cui ait; Super hanc petram, &c.*

LEO serm. 2. de anniuersario assumptionis suę ad pontificatum die: *Manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petra perseuerans, suscepta Ecclesię gubernacula non reliquit. Sic enim præ ceteris est ordinatus, & dum petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni cęlorum ianitor constituitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsa appellationum mysteria nosceremus.*

GREGORIUS lib. 6. epist. 37. ad Eulogium: *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum Principis soliditate firmatam, &c.*

Ex his apparet, quanta sit quorundam hæreticorum impudentia, CALVINVS enim loco notato dicit, se nolle Patres adducere, non quod non possit, sed quod nolit de re tam clara disceptando molestus esse Lectoribus. ERASMVVS autem in hunc locum Matth. miratur aliquos fuisse qui hęc locum ad Rom. Ecclesiam detorserint, nititurque excusare Cyprianum & Hieronymum, quod dixerint, super Petrum fundatam esse Ecclesiam; quasi hoc sit paradoxum inauditum; cum tamen omnes Patres id doceant, & plurimi recentiores tam Theologi, quàm Canonistę, necnõ antiquissimi Pontifices, Clemens, Anacletus, Marcellus, Pius, Iulius, & alij, quos omni tum gratia breuitatis, tum quia ab aduersariis non recipiuntur.

Excusamus nunc SECUNDAM opinionem quę est Erasmi. Probat Erasmus nomine *Petra* intelligi omnes fideles ex Origene, qui tract. 1. in Matth. hunc locum exponens, sic ait: *Petra est omnis qui imitator est Christi, & super omni*

eiusmodi petra edificatur Ecclesia Dei. In singulis enim quibusque perfectis, qui habent in se congregationem Verborum, & operum, & sensuum omnium, consistit Ecclesia cui porta non proualent inferorum.

At ORIGENES allegoricè exponit hunc locum, non literaliter, vt Erasmus somniat, ad literam autem exposuit in loco suprà citato. Et sanè ad literam non posse hunc locum intelligi de omnibus fidelibus, patet ex eo quod Dominus, vt de solo Petro se loqui indicaret, descripsit illum multis modis: Vocauit enim eum Simonem, quod erat illi nomen à parentibus impositum, & addidit nomen patris, vocans eum filium Ionæ seu Ioannis, vt distingueret à Simone fratre Thaddæi; addidit etiam nomen Petri, quod ipse illi indiderat: vsus est præterea pronomibus certam personam designantibus, dicens: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, &c.* Si ergo adhuc licet asserere, nihil hinc Petro peculiare esse collatum, vel promissum, quod non aliis omnibus, certè omnia loca Scripture deprauari poterunt.

Deinde, si omnes fideles sunt ista petra, super quam fundatur Ecclesia, omnes erunt fundamentum; si omnes fundamentum, vbi erunt parietes & tectum huius ædificij? quemadmodum si totum corpus oculus, vbi auditus? vbi cetera membra? 1. Cor. 12. Adde, quod ibidem Erasmus absurdum esse censet, super hominem Petrum ædificari Ecclesiam: quomodo igitur super singulos fideles ædificabitur? nõnne ceteri quoque homines sunt?

Iam TERTIA explicatio CALVINI est, qui etsi paulò obscurius loquatur, videtur tamen per petram Christum intelligere. Ait enim rem esse perspicuam, super quam petram ædificetur Ecclesia, cum Apostolus dicat, 1. Cor. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*

Accedit etiam Augustinus, qui tract. vlt. in Ioan. *Super hæc, inquit, petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Et serm. 13. de verbis Domini idem habet, & lib. 1. Retract. cap. 21. vbi retractat quod dixerat alicubi super Petrum ædificatam Ecclesiam, & docet super Christum potius ædificatam dici debere; & sic intelligendum hunc locum de quo agimus.

Nemo

Nemo dubitat, quin Christus sit petra, & primum fundamentum Ecclesiæ, & quod etiam ex hoc loco id aliquo modo colligitur. Nam si Petrus est fundamentum Ecclesiæ loco Christi, multò magis Christus est fundamentum. At nihilo minus sensus proprius, & ut sic loquar, immediatus & literalis est, super Petrum ædificandam Ecclesiam. id quod præter rationes suprâ allatas, probatur propriis argumentis.

PRIMO pronomen, HANC, non potest referri ad Christum petram, sed ad Petrum petram; debet enim referri ad aliquid proximum, non ad remotum. Proximè autem dictum fuerat non Christo, sed Petro; Tu es Cephas, id est, petra. DENDE licet Christus dici possit petra, tamen hoc loco non est vocatus petra à Petro confitente, sed Christus filius Dei viui: debet autem referri illud, *hanc*, ad eum qui nominatus est petra, non ad eum, qui non est appellatus hoc nomine. ITEM si referretur ad Christum, quorùm dictum fuisset: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus?* planè frustra, nisi id quod sequitur ad Petrum referatur. DENIQUE si ad Christum referretur, non diceret Dominus, *ædificabo*, sed ædifico Ecclesiam meam; nã in se iam ædificauerat Apostolos & discipulos multos. Dicit autem, *ædificabo*, quia nondum constituerat Petrum fundamentum, sed post resurrectionem suam id facturus erat.

Ad argumentum CALVINI dico, B. Paulum loqui non de quocunque, sed de primario fundamento; alioqui pugnaret secum, cum ait: *Super ædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum*; ad Ephes. 2. Et Ioanni etiam repugnaret, qui Apoc. 21. describit fundamenta duodecim in ædificio Ecclesiæ, & explicat per ea fundamenta Apostolos designari.

Ad AUGUSTINUM dico, imprimis eum non reprobare nostram sententiam, sed tantum anteponeere aliam. Sic enim loquitur lib. 1. Retract. cap. 21. *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tanquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosij. Sibi de gallo gallinaceo ait, Hoc, ipsa petra Ecclesia, canente, culpam diluit. Sed scio me postea sapissimè sic exposuisse, Et super hanc petram intelligeretur quem confessus est Petrus; non enim dictum est illi, Tu es petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus. Harum autem duarum sententiarum, qua sit probabilior, eligat Lector.* Hæc ille. Non

igitur Augustinus putat blasphemum, vt censet Caluinus, asferere, super Petrum ædificatam esse Ecclesiam.

Addo, Augustinum ex sola ignorantia linguæ Hebrææ esse deceptum. Nam argumentum ipsius est (vt hoc loco indicat) quia non est dictum; Tu es petra, sed tu es Petrus. Itaque existimauit petram, super quam ædificatur Ecclesia, non esse Petrum, quia creditit, Cepham non significare petram, sed aliquid à petra deriuatum, vt si diceremus, petrinum vel petreum, quomodo Christianus non significat Christum, sed aliquid à Christo deriuatum. Quia igitur Ecclesia super petram, non super aliquem petrinum vel petreum ædificanda est; ideo existimauit Augustinus, per illam petram intelligi non Petrum, sed Christum. At si aduertisset Cepham nihil aliud significare quàm petram; & Dominum dixisse, Tu es petra, & super hanc petram: nihil dubitasset de veritate nostræ sententia.

QUARTA restat sententia, quæ omnium ferè Lutheranorum communis est, & veterum Patrum testimoniis confirmari posse videtur. Siquidem HILARIUS lib. 6. de Trinit. Super hanc, inquit, confessionis petram, Ecclesia adificatio est. Item: Hæc fides Ecclesia est fundamentum, per hanc fidem infirma aduersus eam sunt portæ inferorum: hæc fides regni cælestis habet clauas, &c. AMBROSIVS lib. 6. cap. 9. in Lucam: Fundamentum, inquit, Ecclesia fides est. CHRYSOSTOMVS hom. 55. in Matth. Super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem. Eodem modo exponit hom. 83. in Matth. Item CYRILLVS lib. 4. de Trinit. Petram, inquit, hunc locum exponens, opinor nihil aliud quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocauit, &c.

Addit ILLYRICVS, si super Petrum, & non potius super fidei confessionem fundata esset Ecclesia, continuò corruisset. Petrus enim mox incurrit in articulum de passione Domini, & corruit: in eodem enim cap. 16. Matth. dicitur ei: *Vade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt.* Deinde etiam Christum tertio, nec sine magna execratione abnegauit, Matth. 26.

RESPONDEO, fidem, siue confessionem duobus modis posse considerari; Vno modo absolutè, secundum se, ac sine relatione ad personam Petri; Altero modo cum relatione ad Petrum.

Petrum. Priore modo videntur velle aduersarij fidem esse fundamentum Ecclesiæ, sed certè falluntur. Si enim ita esset, non diceret Dominus: *Super hanc petram ædificabo*, sed *ædifico* vel *ædificaui* Ecclesiam meam. Iam enim multi crederant, eum esse filium Dei viui, vt prisci Prophetæ, B. Virgo, Simeon, Zacharias, Ioannes Baptista, Apostoli, & discipuli ceteri.

Deinde fides absolutè sumpta rectè quidem dicitur fundamentum iustificationis, & omnium virtutum. vt enim ait AVGVSTINVS serm. 22. de verbis Apostoli: *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*. At Ecclesiæ non propriè est fundamentum fides. debent enim eiusdem generis esse fundamentum, & reliquum ædificium. Est autem Ecclesia hominum congregatio, quasi lapidum viuorum, vt dicitur 1. Petr. 2. debet ergo lapis, qui est fundamentum, esse etiam aliquis homo, non aliqua virtus.

Denique illud pronomen, *Hanc*, clarissimè ostendit per petram non posse intelligi fidem absolutè. Nam refertur ad petram proximè nominatam, proximè autem dictum fuerat Simoni, Tu es petra, non fidei. Oportet igitur posteriore modo accipere fidem, ac dicere, non quamlibet fidem, sed Petri fidem, & Petri non vt hominis priuati, sed vt pastoris Ecclesiæ esse fundamentum. Id quod coincidit cum eo, quod hactenus diximus, Petrum esse fundamentum.

Dicitur enim Petri fides fundamentum Ecclesiæ duplici ratione. PRIMVM, quia ob meritum eius fidei consequutus est Petrus, vt sit fundamentum Ecclesiæ; vt exponunt Hieronymus, Hilarius, Chrysostomus, & alij hoc loco. SECUNDO, quia Petrus in eo potissimùm est Ecclesiæ fundamentum, quod cum fides eius deficere non possit, ipse omnes alios in fide confirmare & sustentare debet. Sic enim ad eum Dominus ait Luc. 22. *Rogavi pro te, vt non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos*.

Itaque cum ratione fidei suæ indefectibilis Petrus sit petra firmissima, totam Ecclesiam sustentans, idem est dicere super Petrum & super eius fidem Ecclesiam esse fundatam, atque hoc modo loquuti sunt Patres citati. Nam S. HILARIVS loco notato, postquam dixerat Petri fidem esse fundamentum Ecclesiæ, & clauis regni accepisse, subiungit de ipso Petro:

Petro: *Super eminentem*, inquit, *beata fidei sua confessione locum promeruit*. Et paulò post: *Hinc regni cælorum habet clauas, hinc terrena eius iudicia cælestia sunt*. &c.

Sicut ergo dixerat, fidem esse fundamentum, & habere clauas, ita nunc dicit Petrum ratione eius fidei meruisse locum super eminentem, id est, ut sit caput, seu fundamentum, & habeat clauas. Et ipse idem in cap. 16. Matth. clarissimè dicit de Petro: *O in nuncupatione noui nominis felix Ecclesia fundamentum*.

Pari ratione AMBROSIVS in Lucam lib. 6. cap. 9. ubi dicit, fidem Petri esse fundamentum Ecclesiæ; ibidem dicit: *Etiam discipulo suo huius vocabuli gratiam non negauit, et ipse sit Petrus, qui de petra habeat soliditatem constantia, fidei firmitatem*.

CHRYSOSTOMVS in vtroq; loco citato, explicans quid sit ædificari Ecclesiam super confessionem Petri, introducit Dominum sic loquentem: *Ego super te ædificabo Ecclesiam meam*.

Denique CYRILLVS etiam loco citato non cuiuslibet fidem, sed illam inconcussam & firmissimam B. Petri, dicit esse fundamentum. & lib. 2. cap. 12. in Ioan. scribit Petrum ipsum esse petram, super quam fundatur Ecclesia.

Ad illud ILLYRICI, respondeo in primis cum Hieronymo in commentario huius capituli, Petrum quando audiuit: *Vade post me Satan*, & quãdo negauit Christum, nondum fuisse fundamentum. Hoc enim loco Christus ei promisit, quod post resurrectionem suam daturus erat. Adde, Petrum non errasse circa fidem, sed tantum aliquid ignorasse cum audiuit: *Vade Satan*; & à caritate excidisse, non à fide, quando Christum negauit. Quod in tractatu de Ecclesia suo loco docebimus.

CAPVT XI.

Quid sit super petram ædificari Ecclesiam, Matth. 16.



EQVITVR altera difficultas explicanda, quid videlicet sit super PETRAM ædificari Ecclesiam. Et aduersarij quidè parum de hac laborant. Nam cum iam negauerint Petrum esse Ecclesiæ fundamentum